ORDINIS MEDICI

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA IENENSI

H. T.

DECANVS

D. CHRIST. GODOFR. GRVNER

SERENISSIMI DVCIS SAXO-VINARIENSIS ET ISENACENSIS A CONSILIIS AVLAE BOTAN. AC THEOR. MED. PROF. PVBL ORD. ACAD. CAES. NAT. CVRIOS. ET ELECTORAL. MOGVNT SCIENT. VTIL. SODALIS SOCIET. LAT. IEN. SODALIS HONORARIVS

SOLLEMNIA INAVGVRALIA

IOANNIS WALFRIED FEVERLEIN

PAPPENHEIMENSIS

MEDICINAE CANDIDATI DIGNISSIMI

A. D. XX. IVL. CIↃIↃCCLXXVI.

INDICIT

PRAEMISSVM EST

SPECIMEN CORRECTIONVM GALENICARVM

AB

CASPARO HOFMANNO

OLIM CONSCRIPTARVM

IENAE


LITTERIS STRAVSSIANIS.

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10





Cogitanti mihi eorum medicorum, quos priſtina ſecula tulerunt, in litteras atque artem medicinalem promerita, mirari ſubit, quid ſit, quod cum ſeculis xv. et xvi. auide legerentur ſummisque extollerentur laudibus, hodie ſic negligantur et contemnantur, nihil vt leuius vel magis ridiculum multis eſſe videatur, quam iſtos ſenes venerari, iſtamque veterem medicinam cum recentiori copulare velle. In quo boni illi viri (puto) vehementer errant, et ſibi labeculam adſpergunt, non veterum medicorum cultoribus. Fac enim, veteres habere ſua vitia, ſuos naeuos, multa eorum monimentis contineri, quae hodie vel inutilia, vel manca, vel non ſatis vera ſunt, (id quod facile largior) quidni et illud de multis recentiorum hominum ſcriptis va-



leat? Ideone nec legenda sunt, nec laudanda? Equidem vix crediderim; Verum, praeeunte verbis HORATIO *),

Vbi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cauit natura.

Multi, quae ignorant, publice priuatimque spernunt, quos praestabat, tacere tali in re, quam se turpiter dare iis, quibus veterum ac recentiorum placita cognita et perspecta sunt. Nam cum puerilia osorum conuicia risorumque procacium libellos lego et relego, idem mihi haud raro accidit, quod SCHELHAMMERO **): *Soleo nonnunquam tacite mecum ridere, cum video illa a multis nostratum ignorari, pro nouis venditari, aut inepte etiam explicari, quae dudum veteres rectissime tradiderunt, quos tamen illi contemnunt prae se, et quasi delirantes senes, nec satis sui compotes, palam apud infelicem ipsis forte concreditam iuuentutem traducunt, certo argumento, meliora eorum scripta nunquam se cum cura legisse.*

Idem fatum GALENVM mansit, quem maiores ita colebant, vt cum eo errare, quam ab eius placitis deflectere mallent, plurimi vero nostrum sic despiciunt, magis vt nemi-

nem.

*) De Arte Poet. v. 351. seq.

**) In Addit. ad *Conring*. Introd. c. 2. p. 64. ed. Hal.



nem. At vterque vehementer peccat, cum modum ac fines transilit. Certe *possum* *) *sincera fide attestari*, *citra vllius iniuriam*, *multa quidem in vastis illis voluminibus contineri*, *quae hodie inutilia atque inania videbuntur*, *multa tamen etiam docta*, *praeclara*, *vtilitatis maximae*, *multa deinde sapienter et commode dicta*, *vno verbo*, *digna principe medicorum sui aeui*, *nec sui tantum*, *sed forte quatuordecim seculorum et vltra*.

Quem GALENVM etsi multi, iique sua aetate doctissimi viri, commentariis illustrarunt, nemo de eo profecto melius, vt videtur, studuit Prof. Altorf. Celeberrimo, CASP. HOFMANNO **), qui magno cum studio et labore vndiquaque congessit, quae vllo modo ad pleniorem GALENI intelligentiam pertinere videbantur, eamque ob caussam a CAROLO SPONIO recte, *Pergameni Clinicus* dictus est. Immensus profecto eius labor, et tanto viro dignus existimari debet, sed quia nemo inueniebatur, qui sumtus impenderet, in bibliotheca Thomasiana Norimbergae adseruata fuerunt ista XXVI. volumina, donec paucis abhinc annis publica auctionis lege et generosissimi clarissimique domini de MVRR opera, ad Cl. ASKEW peruenirent, et in Angliam demigrarent. Quod

*) Ib. p. 64.

**) v. Catalog. eius scriptorum in *Mercklini* Linden. Renou. p. 156. seq.



vero fatum ibi post noui possessoris obitum habitura sint, nescio. In his multa contineri puto, quae, saluo GALENO, omitti poterant et debebant: (hoc enim ex pristini seculi more et HOFMANNI ingenio colligere licet) Attamen quia hodie vix speranda est noua operum Galenicorum editio, *e re litteraria* *) *vtique foret, praecipuas* HOFMANNI et CHARTERIO *aliisque praeteritas annotationes a docto aliquo viro excerpi, et relatas ad illius paginas editionis, cum locis* GALENI *male hactenus intellectis, enotari, tum, descriptis quoque medicis obseruationibus, quae in illo opere occurrunt, singulares et non contemnendae, vno mediocri volumine tot tantorumque laborum fructus cum lectoribus communicari.* Annon igitur periculum in libello quodam Galenico v. c. *De Vsu Partium, De Iudicationibus, De Locis Affectis cet.* faciendum foret?

Praeter istud perfectum absolutumque HOFMANNI opus restat in Germania alterum volumen et *quasi correctionum* **) *spici-*

*) Sic praeclare FABRIC. Bibl. Graec. L. IV. c. 17. p. 559.

**) Inscriptus libellus est: *Analecta correctionum Graeci codicis Galeni impressi Basileae* 1538. *et respondent quidem folia et lineae citatae foliis et lineis dicti codicis: verum tributi sunt libri in septem classes, vt vulgo in Iuntarum editionibus et vltima Basileensi latina a* MONTANO *habemus. Inchoata Calendis Nouembribus* 1619. — — *noluit differre paratis*


ſpicilegium, in quo ad editionem Baſil. a. cIↃIↃxxxviii. retractauit et limatius opus illud, quod iam commemoraui, reddidit. Hoc anno huius ſeculi tertio et ſeptuageſimo, menſe Martio, emtionis iure *) ſibi comparauit Generoſiſſimus et Clar. C. T. de MVRR, cuius qualis quantusque in litteras humaniores fauor ſit, inter omnes conſtare puto, et ex ſingulari eius beneuolentia tandem meum eſt, ea tamen lege atque conditione, vt breui harum correctionum ſpecimen in vulgus dem. Dudum inique tuli, quod per litterarum graecarum contemtum non liceret fidem liberare, ideoque, data hac opportunitate, curabo, vt bonum nomen exiſtimer. En ſpecimina **) quaedam correctionum?

SPECIMEN

re paratis. Abſoluta XVII. *Cal. Sept.* 14. *Auguſti* } 1622. CASP. HOFMANN. *Med. D. et P. P. Altorfii Noribergenſium.* —

*) Ex Bibl. Thomaſiana, *MS*tor. Chartac. n. 118. Latent etiam hic loci in Bibl. Acad. Opera GALENI graeca, quorum margini multas lectiones varias, easque non contemnendas adſcripſit IANVS CORNARIVS, vir ſua aetate clariſſimus, et inſigne tum huius athenaei, tum vel maxime gratioſi medicorum ordinis decus.

**) Haec adduxi, qualia in Cod. extant, aut legi poſſunt; Male enim HOFMANNVS pingit, et haud raro lacunas habet, quas ſupplere nefas duxi.



SPECIMEN CORRECTIONVM GRAECI CODICIS GALENI

IMPRESSI BASILEAE CIƆIƆXXXVIII.

Claſſis Prima. Τὸ Φυσιολογικόν.

II. Facult. Nat. 9. f. 107. l. 42.

Quaeſtio eſt, vtra ſcriptura ſit verior, vulgarisne, *βλένα* ἢ *βλέννα*, an altera minus vulgaris, *βλαίνα*? An potius illa, quae in gloſſis, *πλέννα*? Quia dubium non eſt, eſſe a *βῆ* ἢ *βλὴ*, quod eſt *μιμητικὸν τῆς τῶν προβάτων φωνῆς*; pronunciatio autem τοῦ *η* habebat medium quid inter *α* clarum et *ε*, proxime accedens ad *αι*, quo fit, vt quidam etiam ſcribant *βαὶ* ἢ *βλαὶ*: dubium etiam eſſe non debet, recipi poſſe. Ab hoc *μιμητικῷ*, (non autem *ἀπὸ τοῦ*, *βάλλω*,) quia eſt *βλήχη καὶ βλήχημα*, intelligi poteſt, quid ſit ſentiendum de illo *βληχανότης*, quod eſt apud ATHENAEVM L. IV. non procul initio. Omnino, licet magni viri reclamant, eſt vox nauci, cui ſubſtitui debet non quidem *βλεαώδεις*, quod DALECHAMPIVM feciſſe auguratur MERCVRIALIS, non etiam *βληχώδης*, quia metrum non admittit, non etiam *βλιχώδεις*, licet apud EROTIANVM ſit; ſed *βλιχρώδεις*, per *μεταγραμματισμὸν* quidem illum poëticum, *ι* pro *η*, ſed cum *ρ*, vt ratio originis dari poſſit. BYZANTII igitur

Πάντες βλιχρώδεις εἰσὶ καὶ μεστοὶ λάπης

Omnes ſunt mucoſi et pleni pituita.

Hos GALEN. in Meth. vocauit *κρεομύξους*, ARISTOT. VIII. Hiſt. *βλεννώδεις*, PLAVTVS in Bacchid. *Blennos*, MENANDER *Blitros*. Ita vero cenſeam, *bliteras vxores*, et apud PLAVTVM, *bliteras*

bliteras meretrices, dici debere *blitras*, deriuatamque esse volo, non ab Blito, non etiam ἀπὸ τοῦ βάλλω, sed ab hoc βλὴ, quod ab ignaris (forte, quia poetae ita scriberent) in βλι est mutatum. Non dubito, eiusmodi originis esse τοὺς βλαισοὺς, prima quidem significatione ad linguam impeditam pertinente, altera autem ad crura quoque. Hinc indifferenter scribitur βλαισὸς καὶ βλεσὸς.

I. Facult. Nat. c. 17. f. 97. l. 30.

Post Ἐρασιστρατεία Vet. Int. haec amplius habuit: Δῆλον δ' ὡς οὔτε ἀσκληπιάδεια, πολὺ δὲ μᾶλλον οὐδ' ἱπποκράτεια.

Classis Secunda. Τὸ ὑγιεινὸν.

I. Alim. 1. f. 308. l. 13.

Subolet mihi error, quem ab aliis praeteritum video. Vt enim sensus fiat, post γλίσχρους videtur esse figenda, τελεία στιγμή; et postea leg. οἱ γὰρ βαρεῖς αὐτῶν; tunc vero instituenda parenthesis, quae finiatur post πάντας; itaque pergat, ἐπεὶ παρασκευὴ πᾶσα. Ib. scribe παγκρατιαστὰς. l. 48. pro ἐπὶ πολὺ cum Int. leg. est ἐπιπολῆς, et l. 54. finxit Int. qui in graeco non est. *Corn.* alium attulit, deleto τὸ διὰ. Mihi ita leg. videtur, ἐστιν, ὥσπερ καὶ τὰ τῶν. l. 56. τὸ σκευαζομένων aut superest, aut mutatum est in σκευασιάς. Et l. 57. λάγανα. Ib. iure CORN. suspecta habet illa, ὅσα διὰ τούτων τε καὶ, et recte, nisi fallit me, supponit, ὅσα τούτων ἐκ τῆς σ. Ceterum, quia priori loco agit GAL. de *laganis*, posteriore de — omnia autem ex sisamo et melle conficiebantur: Quid si pro σεμιδάλεος legamus σησάμου? Accedit, quod GAL. in Gloss. ait, *Itua* esse friabilia. Talia vero non erunt, si ex similagine fiunt. l. vlt. γεννητικὰ — τρόφιμα.



III. Sanit. Tuend. c. 7. f. 250. l. 3. et 4.

Locus obſcurus. Int. ita legiſſe videtur, τὴν γὰρ θερμότητα τοῖς τοιούτοις κόποις ὑπάρχουσαν καὶ ἄλλοις ὁμοίως ὑπάρχειν φύσει, καθάπερ καὶ τῶν προτερουμένων ἑκατέρῳ. CORN. pro ἄλλοις ἂν, leg. ὁμοίαν, vt poſt καὶ infert ἐπὶ τῶν ἑ. FVCHS. in Not. vellicat tantum vltimam vocem, reponitque ἑκατέραν. Mihi quidem νοθεύειν videtur, ſi CORNARIVM ſequamur. Quo enim modo non item dicitur, καὶ ἄλλοις ὁμοίως— et καθάπερ καὶ τῶν —? Expediant igitur nos Codd. Mſt. qui pro ἄλλοις ἂν habent ἄλλοις μὲν, et hac ratione totam litem componunt.

Claſſis Tertia. Τὸ αἰτιολογικόν.

VI. in VI. Epid. 5. f. 525. l. 16. et 17.

Locum eſſe corruptum, id argumento eſſe poteſt, quod negatiuam addidit Interpres, quae in graeco non eſt. PACIVS Com. in 1. Meth. 6. ratus, non eſſe id ſatis medicinae, pro θανάσιμα, ſcribit καθαρτικά. Niſi enim hoc fiat, inquit, abſurda erit ſententia. Medicos vocare plurima medicamenta mortifera, quod aliquando, vt tempeſtiue vſurpata, ſint vtilia. Quod vero non ſufficiat negatiua Interpretis, inquit, hinc apparet. Quam enim rarum eſſet quaerere, cur medici non apellent mortifera, tum vero etiam quae oppoſitio inter mortifera et deleteria? Hoc autem modo bene ſe habet quaeſtio, cur ex maleficis quaedam appellentur mortifera, quaedam non? Purgantia enim ſunt deleteria illa, quae dextro vſu proſunt, cum deleteria ita dicta nunquam prodeſſe poſſint? Haec ille, qui mentem GALENI non tetigit. Quaeritur, annon purgantia dici debeant deleteria, quod aliquando interficiant? Non, inquit. Ita enim alexipharmaca

maca quoque dici debebant deleteria. Quare addit, medici δηλητήρια ἢ θανάσιμα dicunt, non omnia, quae interficiunt, ſed illa, quae nullum vſum habent. Recte igitur Interpres addidit negatiuam, ſed non percurauit vitium. Id fiet, ſi voces quaedam transponantur, quaedam auferantur, in hunc fere modum: Δι' αὐτὸ τοῦτο μὴ δοκοῦσιν ἰατροὶ θανάσιμα ἢ δηλητήρια πολλὰ φάρμακα καλεῖν, οὐχ ὧν ἀναγκαῖον ὄφελός τι κατὰ καιροὺς γίνεται, ἀλλὰ τὰ μηδέποτε οὐδὲν ὠνοῦντα.

L. De Palpit. Trem. 4. f. 365. l. 30.


Pro ἀντισήκουσαν FOËSIVS leg. ἀντισηκώσῃ aut ἀντισηκώσει, et pro κινήσῃ leg. κινήσει. l. 17. poſt σῶμα addo ὄρνιθος. Ceterum quae vetus Int. hic alia habet, addi poſſunt a volente, cum ſenſum loci non mutent, ſed explicent.

Claſſis Quarta. Τὸ σημειωτικόν.

III. Prorrh. 64. f. 216. l. 23. ſequ.

Quia tota oratio eſt de vrinis, miror, GALENVM improbare lectionem DIOSCORIDIS Alexandrini et CAPITONIS: Miror verò etiam, quomodo non obſeruauerint viri diligentiſſimi, nullam eſſe oppoſitionem inter genitiuum ſingularem, στροφώδους, et nominatiuum pluralem, στροφώδεες! Quare vt dubium non eſt, GALENVM legiſſe στροφωδέων, quamuis exemplaria omnia habeant hodie στροφώδους, ita dubium non eſſe poteſt, oppoſuiſſe illis τροφιώδεα ἢ τροφικεῖδέα. Accedit, quod tota haec de vrinis oratio repetitur in Coacis, ſcribiturque conſtantiſſime τροφιώδεες. Vnde quia certum eſt, mirifice iuuari lectionem a GAL. reprobatam, tunc certum eſt, locum GALENI eſſe corruptum, iudicio etiam HOLLERII Com. in l. 3. Coac. Sect. 3. Quod cum fateatur FOËSIVS quoque notis in eundem locum, et de ſola

 vrina



vrina accipiat HIPPOCRATIS illa; valde miror, quo modo et ibi, vt in Oeconom. poſſit pro iisdem habere ἔρα ςροφώδεα καὶ τροφιώδεα? GALENVS enim opponit inuicem, et illud de alui excrementis dictum eſſe affirmat, hoc de vrinis. Quo fit, vt intelligere nequeam, quomodo ἔρα ςροφώδεα eadem ſint cum τροφιώδεσι! GALENVS non agnoſcit illa ἔρα ςροφώδεα, ſiquidem de alui excrementis tibi ait. Non me mouet hemiſtichium Homericum ex Iliad. ε΄. extr. perperam allatum, cum ita debeat ſcribi: Μάλα δ' ὦκα περιςρέφεται κυκοώντι. At etſi τὸ περιςρέφεσθαι — exponi per περιπήγνυσθαι, non a GALENO ſolum, ſed et ab EVSTATHIO et DIDYMO, ſolet, non dabo tamen, περιςρέφεσθαι καὶ περιτρέφεσθαι eſſe idem. Sed ſint diuerſae quidem voces, ſed quae idem ſignificent ideo, quia codd. quidam περιτρέφεται habent; ſcire volo, quomodo τὸ τροφιώδεις poſſit eſſe ab altero. Plane non perſuaſit mihi EROTIANVS, eſſe ἀπὸ τῦ τροφιὰ, quod cinerem ſignificat, vt alibi quoque dixi. Ergo legendum eſt l. 23. ἐκ ςροφώδεων, vt l. 27. ἐκ ςροφώδυς, CORNARIO iudice.

II. Differ. Pulſ. 2. f. 20. l. 23.

Καρικὴν, et mox καρικοῖς. Hanc ſcripturam, et quae illam ſequitur, explicationem eſſe bonam, contra malam eſſe, quae et καρύκην ſeu καρυκείαν, *Lydium edulium*, detulit, licet a doctiſſimis, et inter hos FOËSIO, probatam, deierare auſim. Vt enim ordiar a fonte ſcientiarum, dicuntur illi Iliad. l. *Cares*, βαρβαρόφωνοι, et diſputat ea de re late STRABO L. 14. cum βαρβαροφώνυς appellarit, non βαρβάρυς! Et concludit, ab initio *barbaros* fuiſſe dictos, qui difficulter, aſpere ac duriter loquerentur, quales ſunt omnes ii, qui ad graecam dictionem introducti, expedire linguam non poſſunt, quemadmodum vere nos illorum orationem,

in-



inquit, quod apprime Caribus contigit. Cum enim (addit) multum cum Graecis conuerſarentur, nec graece viuere, nec Graecorum dictionem ediſcere tentarent, quin per totam Graeciam errarent, ſtipendia merentes, dicti ſunt *barbari*, quod in Graeciam militarent. Mihi videtur, propter vtramque cauſſam Cares fuiſſe dictos barbaros, et quod Graecis contra Graecos in bellis ſeruirent, et quod male graeciſſarent. Non enim tantum erant παχύστομοι καὶ τραχύστομοι, quibus verbis STRABO vtitur, ſed propriae linguae permulta graeca nomina admixta habebant, vt ex PHILIPPO, Caricarum rerum ſcriptore, refert idem STRABO. Hinc adeo factum eſt verbum, καρβάζειν aut potius καρβαΐζειν, male καρβανίζειν, quod HESYCHIVS exponit, καρικῶς λαλεῖν καὶ βαρβάρως, et καρβᾶνες Etymologico ſunt οἱ βάρβαροι, οἱ ἔχοντες καρὸς πολύ. v. ERASMVM in Adagio, *carica muſa.*

Claſſis Quinta. Τὸ Φαρμακευτικόν.

De Theriac. ad PISON. 10. f. 462. l. 7.

Locus is multorum ingenia exercuit. Quid enim eſt *Helenium* illud *venenatum?* MATTHIOLVS in DIOSC. I. 27. pro τοῦ ἑλενίου leg. ἐλλεβόρου, quod ſciat, in Hiſpania ex helleboro albo parari venenum pro illinendis ſagittis. Adſtipulatur ei DALECHAMPIVS — Adſtipulatur eidem MATTHIOLO LANGIVS I. Ep. 18. addens ſuum quoque experimentum, quo confirmari poſſit id, quod GAL. ait: Intus enim eſſe letale hoc venenum. Ait vero, ſe in regno Granadenſi ceruum hoc veneno interemtum citra noxam comediſſe. Factum id eſt a. 1519. quando cum principe ſuo, FRIDERICO, Comite Palatino Rheni, in Hiſpaniam profectus, nunciauit CAROLO V. electionem. Poſſis in has cogitationes venire, illum



addere voluiſſe vocem aliam, — τὸ ἑλένιον ab imperito ſcriba illatum ſit! Explicat vero de helleboro, quem DIOSC. prae ceteris laudat. SCALIGER Com. in I. de Plant. ARISTOT. f. 273. dubitat, annon leg. ſit βελένιον, vt ſit δηλητηριῶδες illud, quod auctor libri confundit cum *perſide* arbore. Dictum autem putat ἀπὸ τῶν βελῶν, vt idem ſit cum τῷ τοξικῷ. Quod an ex *napello* Arabum ſit, non diſcendum eſſe ait ex Belgicis plagiis, (DODONAEVM, puto, ferit) ſed ex eruditiorum fontibus. In huius ſententiam pedibus it MERCVRIALIS 2. Venen. 10. qui cauſam reddens, cur GALENVS *exile* vocarit *helenium*, voce Graecis incognita, ait, GALENVM voce Romana vſum eſſe, quia videlicet populus tunc intelligebat. Hoc ſi confirmaret vllo teſtimonio, fortaſſis crederem illi.

Claſſis Sexta, Ὄργανα εἰς τὴν κλινικήν.

I. De Venaeſ. adu. ERASISTRAT. f. 1. l. 25.

Locus obſcuriſſimus, in quo tentauit aliquid CAMERARIVS, ἔτος ſcribens pro ἔτως, ſed nihil profecit. CORNARIVS poſt longam alternationem, vt apparet, ita correxit, et feliciſſime, meo iudicio: Ὅταν δ᾽ ἔτως παραλλάξῃ, ἐξ ἑτοίμε ταύτῃ μὴ χρώμενος, καὶ μὴ προσφέρειν ἀναγκαζόμενος, ἄκρῳ περιττὸς τῇ διανοίᾳ καὶ ἄξιος ἐπαίνε rel. Vt ſit ſenſus: Hunc in modum cum variet, neque venaeſectione vtatur ſubito, neque cibum offerat, et ſummam adhibet prudentiam, et laudem meretur, quod ſemper et in omnibus ſibi conſentiat.

Ibid. l. 32.

Locus difficilis, cui mederi volens CAMERARIVS, πρόφασιν addidit, vt videre eſt. Felicior CORNARIVS pro,

τήνδε

τῆνδε leg. et ὅτι, et ὅτι πρόφασις. Atque hoc posterius melius est. l. 39. miror, an possit dubitari, ἄνδρας esse scrib. cum ALDVS quoque habeat l. 43. Miror iterum, cur Datiuo, Ἱπποκράτει, substitui debeat Nominatiuus: Genitiuus esse debet, vt ἄλλε τινος. l. 52. pro τέτοις, τῦτο, et l. seq. ἐκ γὰρ τῦ.

Classis Septima. Τὸ θεραπευτικόν.

III. Off. Med. 30. f. 698. l. vlt.

Vox est deformata a typographis τελεικτὰ, pro qua legisse videntur Interpretes ῥήγματα. Hos accusat MONTANVS 5. Morb. 12. 1) quod ῥῆγμα non sit fibrarum, sed partis carnosae musculorum. 2) quod ῥῆγμα sit vox HIPPOCRATI nota, cum de ea, quae heic legi debet, GAL. pronunciet, quod recentiorum sit. Legit igitur τίλματα, (qua in parte consentit illi CORNAR. et FOËS.) quae vox et mendosae illi vicinior est, et idem significat, quod σπᾶσμα, vt probare licet ex 3. in 3. Epid. 76. v. FOËSIVM in Oeconom. vbi MONTANO consentit quidem, non recipit tamen τὸ, ῥήγματα.

I. Artic. 63. f. 595. l. 35.

Ἄκρις scrib. esse retracto accentu, certum est; incertum vero, FOËSIO quoque, sitne legendum ὄκρις. v. quae scribat vtroque loco, in Oeconom.

13. Method. 17. f. 180. l. 50.

Pro ἑτέραν in Mst. est κατ' ἔντερα. Ego mihi persuadeo, GALENVM scripsisse prius illud, sed simplicem aliquem fecisse sibi hanc notam, quae a simplicioribus aliis fuerit habita pro verbo auctoris. Idem vero sensus est vtrobique.

Et



Et l. vlt. adde poſt ὄνομάζουσιν, οἰσόφαγον: ςόμαχος enim communis appellatio eſt 4. Vſ. P. 1. vt huic parti non, niſi aequiuoce conueniat.

14. Meth. 5. f. 187. l. 6.

LINACER quoque habuit ξηρῶν, at legend. eſſe ὀξηρῶν monemur a Mſt.

Τὸ ἀφοριςικόν.


VI. Aph. 18. f. 301. l. 9.

Legunt quidam καὶ ἅπαξ, καὶ δὶς ἐν τῇ. Verum reſpuit illa, καὶ δὶς, quod ſequitur, contigiſſe id, viuente adhuc praeceptore, PELOPE. Atque non dubito, indicari hic illam hiſtoriam, cuius 8. Vſ. Part. 10. mentio fit —

Τά νόθα.


I. De Vrin. f. 410. l. 30.

Λεπτὸν καὶ παχὺ, addit et CORNAR. et ALBERTVS. l. ſequ. poſt γίνεται fac punctum, et ſcribe porro cum CORNARIO, τόδε παχὺ ἢ ὑρεῖται παχὺ, καὶ μένει παχὺ; ἢ καθίςαται, καὶ λεπτὸν γίνεται. Et ALBERTVS quidem cum STRVTHIO alio diuertit, at CORN. probat ſua ex init. c. 3. l. 38. CORN. quidem poſt. δεύτερον interponit παύεσθαι, at melius ALBERT. per transpoſitionem curationem inſtituit, ἀκμάζειν τὴν τῶν π. χ. l. τόδέ δεύτερον ἄρχεσθαι τὴν διάκρισιν.



Sed haec hactenus. Ex his enim intelligent peritiores, quid CASP. HOFMANNI correctiones conferre poſſint ad obſcura et dubia GALENI loca illuſtranda.

Reli-



Reliquum eſt, vt in ſcenam producamus et commendemus digniſſimum medicinae Candidatum

IOANNEM WALFRIDVM FEVERLEIN

PAPPENHEMIENSEM,

CVIVS vitae ratio haec eſt.


Ego, IOANNES WALFRIED FEVERLEIN, lucem huius vniuerſi aſpexi Pappenhemii anno CIↃIↃCCLII. IV. Iduum Auguſti. Patrem veneror WILHELMVM FEVERLEIN S. R. I. Mareſchallo haereditario Comiti Pappenheimenſi Pharmacopoeum aulicum, matrem vero IOANNEM WILHELMINAM, iam defunctam, IOANNIS LEONHARDI HOLFELDERI, ſenioris ſpectatiſſimi Onoldini filiam. Parentes mei cariſſimi omnem curam atque operam adhibuerunt, vt principiis religionis chriſtianae, iisque, quibus aetas puerilis informari ſolet, diſciplinis imbuerer: quo fine me tradiderunt inſtructioni Praenobiliſſimi SONNENMEYI, Licei patrii tunc temporis Rectoris digniſſimi, nunc vero paſtoris Pappenheimenſis ſic dicti montani, et qui in huius locum ſuccedebat, Rectoris meritiſſimi et doctiſſimi EDERI;



Ex cuius priuata opera et informatione in litteris, quae ad humanitatem pertinent, logicis et mathematicis, quantos perceperim fructus, publicis nunc praedico laudibus, nec vnquam mea excidet memoria. Cupiditate medicinam addiscendi flagrans per totum annum, auctore et suasore patre, arti pharmaceuticae illis, quibus a litterarum studiis vacabam, horis operam nauaui, ne eius plane rudis studium inchoarem me dicum. Finito itaque curriculo, quo iuuenes ad altiora praeparari solent, iubente et suadente Rectore meo meritissimo, EDERO, Anno cIↄIↄCCLXXII. in hancce musarum sedem me contuli, ibique a Summe Reuerendo ZICKLERO, fasces academicos tunc tenente, in numerum ciuium academicorum sum receptus, et vt decenter praeparatus ad studium accederem medicum, prius philosophicis et mathematicis disciplinis me imbuendum esse duxi, eamque ob causam praelectiones logicas et metaphysicas Illustris Consiliarii Aulici HENNINGS, Excellentissimi Professoris MÜLLERI collegium historiae vniuersalis, Illustris Consiliarii Cameralis SVCCOW praelectiones mathematicas, physicas et chemicas frequentaui; Botanicam me docuit, Illustris SVCCOWII filius, Medicinae doctor

doctor celeberrimus, Societatis Electoralis Palatinae oeconomicae, quae floret Lauterae, Professor Mathematum, Physices et Chemiae, eiusdemque secretarius perpetuus; Interfui praelectionibus Iuris naturae, Politicis et Moralibus ab Excellentissimo VLRICH habitis; Historiam naturalem me docuit Illustris Consiliarius Aulicus WALCH; Cosmologiam Illustris Consiliarius Cameralis WIEDEBVRG; Medicinam vero forensem et Botanicam Excellentissimus HALBAVER; Osteologiam et Botanicam Praenobilissimus dominus Doctor SCHENK. Porro in Physiologicis, Pathologicis, Semioticis, Materia medica, Chemia dogmatico-experimentali, Praxi et methodo conscribendi formulas medicamentorum, Praeceptorem habui Illustrem Consiliarium aulicum NICOLAI, qui me etiam ad aegros visitandos et curandos misit. In Anatome, Arte obstetricia et Chirurgia me erudiuit Illustris NEVBAVER. Semioticam et therapiam tam generalem, quam specialem docentem Illustrem Consiliarium aulicum, GRVNERVM, audiui.

Qui vero in artem nostram ita incubuit, vt spem haud leuem de se faceret, fore, vt quando medicus bonus euadat, et nu-



per in examinibus ſuetis RECTE reſpondit: Hinc noſter gratioſus ordo non dubitauit, facultatem ei pro gradu, vt aiunt, diſputandi concedere.

Huic ſollemnitati proximus dies XX. Iul. dictus eſt. Cui vt intereſſe velint *Prorector Academiae Magnificus*, *Prorector Academiae Magnificus Deſignatus*, *Comes Illuſtriſſimus*, *Patres Conſcripti* ceterique *Profeſſores Celeberrimi*, et aequi rerum medicarum *Fautores*, nec non *Commilitones Generoſiſſimi* atque *Praenobiliſſimi*, ordinis mei verbis perhumaniter rogo. P. P. ſub Sigillo Facultatis Medicae d. XIII. Iul. CIↃIↃCCLXXVI.

